Reykowic Simonis: Assertiones ex univer-
sa philosophia.

ASSERTIONES Ex VNIVERSA PHILOSOPHIA,

SVB AVSPICIIS
Illustrißimi Domini,

D. STANISLAI RADZIEIOWSKI, PALATINI

RAWENSIS, SOCHACZOWIENSIS, &c, &c. CAPITANEI, &c.

publicè propugnandæ

A

SIMONE REYKOWIC,

PHILOSOPHIÆ, IN COLlegio Połtowiensi Societ: IESV, Auditore.

Anno Domini,
Vigesimo primo supra Millesimum Sexcentesimum, Mense Die Hora

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M Typographi.

Vno Sidereum Sol tempore fulgidus AGNVM,
Et Dea floricomum Ver Zephyritis init:



Lux rutilans, VIR MAGNE, Tuæ virtutis & altæ
Stirpis, in AGNIGERO, stēmate vernat, honos.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO STANISLAO RADZIEIOWSKI, PALATINO RAWENSI, SOCHACZOWIEN. &c. &c. CAPITANEO &c.

Domino, ac Mecœnati colendissimo,

ÆTERNAM FÆLICITATEM.

PHryxæum vellus, Græci olim Principes, certatim petiêre Illustr: Domine; currebatur Colchos lõginquis itineribus eius potiundi gratiâ; par erat animus, par laboris contentio, & Heroum fortitudo: caterùm secunda Iasonis fortuna, cæteris antecelluit, qui Medææ propensione, solus peruios accessus reperit. Aureum Vellus in Græciam æuiternâ sui gloriâ nominis, auexit. Triumphi cuiusdam insignioris, præclarum inclytæ Prosapiæ Tuæ stemma, nitidissimi velleris AGNVM præferens, Heros Illustrissime, gerit symbolum; primùm illius (quantum ego assequor) Fauoris notam exhibens, quo inuictissimus Poloniarum Rex, eiusq; Serenissimus Natus, & cæteri per Europam AVREI VELLERIS Principes, in te feruntur: eius deinde victoriæ, quam ex artium optimarum, velut difficulter accessa Colchide, cum illustri, tum domi, tum foris, omnium admurmuratione, auctus rara Diuinarum humanarumq; rerum peritia, præcelsa indole

animi virtutibus exaggerati adiutus, auspicatißimò reportâras. Hæc in Te singularem Religionis curam, Sapientiæ studium, amorem Patriæ, Reipublicæq; confouet: Hæc te in dicendo Oratorem disertißimum, in ratiocinando Philosophũ scientißimum, in consilijs ferendis Senatorem amplißimum demonstrat, cum perenni Tui nominis claritate. Plura, eaq; propè innumera Tibi concessa, diuinitùs ornamenta percensere dicendo, neq; est consilij mei, nec loci huius, aut temporis, neque modestiæ Tuæ. Vnum illud audenter profitebor, cum Theorematis è Peripatheticâ prodeuntibus officinâ, sat actum iri prosperè, si Te Arbitro frui quiuerint & Mecœnate. Tibi à me illa consecrari volunt; momentum sibi permagnum affore existimãt, si fuerint accepta perbenignè: magnam à TE Procerum dignißimo splendoris, magnam roboris acceßionem ab AGNO TVO, Musarum Archetypo mansuetiorum, præstolantur. Deferar ego (vt spero) Te auspice Illustr: Domine, ab AGNO Tui Dignatis, per immensum Philosophicæ disceptationis Oceanum, longè securius, quàm delata fuerit Hellesponti Virgo ab Ariete illo, qui

Tempora nocturnis æqua diurna facit,
Impositamque sibi qui non benè pertulit Hellen:

eiusque niueum vellus aurô fulgentius in Te venerabor.

Illustrißimæ Celsitudinis Tuæ,

Obsequentißimus

Simon Reykowicz.

ASSERTIONES PHILOSOPHICÆ.

EX PRIMA PHILOSOPHIA.

I.

PRima Philoſophia, ſeu Metaphyſica, Ens reale, quatenus DEO, & procreatis entibus, Subſtantiæ & Accidẽti competit, tanquam obiectum adæquatum conſiderat. Porrò Ens, ex ipſiuſmet vi ſignificationis, in eo poſitum eſt formaliter, quòd habeat realem quidditatem, extra cauſas poni aptam: idem generis analogi rationẽ complectitur, ſpecies reſpectat analogas, & in conceptu obiectiuo multiplex omninò, ſecundùm quid vnum eſt.

II.

TErnas Entis eſſentia ſibi vendicat proprietates: VNVM, VERVM, BONVM; reales illas quidem, verùm quas non res inter ſe, vel ab Ente diſcriminet, ſed ſola connotatio, vel negationem meram, vel reſpectũ reali fundamento nixum, confictum ab intellectu dicens. Itaq; VNVM, Entis vnitatem diuiſionis expertem, VERVM cognoſcibilitatem, BONVM appetibilitatem eiuſdem indicat.

III.

ENtium ſingularitatem, quorum eſſentia & perfectio circumſcripta eſt, principiat Metaphyſicè diſcrimen indiuiduale proprium, indiuiduo vnicuiq; addens naturæ ſpecificæ poſitiuam realitatem, ab eadem ſola ratione diſtinctam. Principium autem Phyſicum vnitatis indiuidualis eſt Phyſica hæcceitas; hæc videlicet materia, & hæc ſubſtantialis aut accidentalis forma; quarum vtraque Platonem E. G. ab Ariſtotele, in humana eſſentia; Muricem Tyrium, ab Oſtro Sidonio, in purpureo colore diſtinguit.

IV.

DEVM, quem Ter Optimum, Terq; Maximum veneramur, esse; non fides tantùm docet, sed etiam lumen naturæ demonstrat. Idem est Actus purissimus, omnem realem, & rationis cōpositionem respuēs; Ens à se, Vnum, perfectione Infinitum, potestate Immensum, duratione Æternum, Statu Immutabile; omnis esse fons & perenne principiū; cuius essentia est existere, ac ad intra, seu immanenter operari.

V.

ENtis creati existentiam, sola ratio separat à Quidditate, cuius illa Metaphysicum accidens est. Creatura nulla fuit actu ab æterno, sed in potentia tantùm: hæc verò possibilitas præter denominationem à potentia actiua agentis, ex parte creaturæ dicit negationem existentiæ, cū non repugnantia ad eandem. Substantiæ quæ subsistunt, subsistentiam; Accidentia quæ inhærent, inhærentiam habent, vt essendi modos; qui actualiter sumpti ab essentia & existentia ex natura rei, radicaliter accepti à neutra per rem differunt.

VI.

INtelligentias nullæ partes Physicæ constituunt, nullæ integrant; eædem tamen Metaphysicam ex essentia & existentia, natura & subsistentia, subiecto & accidente, genere & differentia, compositionem, & certos perfectionis limites habent. Earundem sunt totidem species de facto, quot indiuidua: nulla tamen ratio prohibet eas intra eandem speciem à Creatore multiplicari. Mouere corpus motu locali, per se queūt Intelligentiæ; vacuum efficere, procreare, procreata ad nihilum redigere, educere de potentia Materiæ formas, insitâ virtute nequeunt.

EX PHILOSOPHIA NATVRALI.

DE PRINCIPIIS CORPORIS NATVRALIS.

VII.

Non for-

Non fortuiti concursus atomorum, aut earundem per se, & quasi consultò facta concretio, neque vlla veterum commenta conflant Vniuersum: sed certa quædam statuunt principia, quæ nec ex se inuicem, neque ex alijs sunt, sed omnia fiunt ex ipsis. Eiusmodi sunt Materia, Forma, & Priuatio, si Fieri; Materia & Forma tantùm, si Factum esse, Entium Physicorum spectetur.

VIII.

Materia Prima creata est, generari & corrumpi impotens, deposcit subsistentiam partialem, vt terminum modumq; : Substantialium formarum per se, & indifferenter est receptiua: sine quauis singulatim, naturaliter; sine omni forma, diuinitùs, potest permanere: formarum appetens tam earum quæ præsto sunt, quàm absentium, etiam corruptarum vel amissarum semel; delectus inter appetendum faciundi nescia: Est actus entitatiuus incompletus, & simul absolutè sumpta potentia passiua. Rectè à Philosopho definitur esse subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cùm insit non secundùm accidens; & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum.

IX.

Actuat Materiam forma, estque pars compositi potissima, vnum per se cum Materia constituens. Pulchrum quiddam (vt Peripatetici volunt) ab ea quippe informis Materiæ, atque adeo totius vniuersi omnis pulchritudo, omnis entium varietas, & distinctio. Rationalis forma creatur; educitur Materialis: neutra requirit materiam tempore, sed natura priorem; neutra naturæ vi reproducibilis iteratò. Forma vna vnam materiam, multas multæ informant ordinariè: Diuina facere potest virtus, vt vna multas, & multæ vnam informent. Rationalis anima in corpore etiam vt Quod subsistit: Materialis vt Quo in materia, extra materiam nullo pacto: possent verò Diuina potestate citra corporum consortium, seruari terribiles visu variarum ferarum formæ, in quas belliger Æneas,

Nî docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cauâ sub imagine formæ:
Irruat, & frustra ferro diuerberet vmbras.

X.

PRiuatio negat formam in apto ſubiecto; dum eſſe deſinit, orditur principiationem; ita vt formæ priuatio, forma priuationis carentiā ſubſequatur: dum principiat, non connotat materiæ diſpoſitæ, ſed materiæ ſecundùm ſe capacitatem. Priuationum tantus numerus, quantus formarum quæ vni materiæ adiungi, & materiarum quæ vnam formam recipere poſſunt: tot ſpecies & genera priuationum, quot formarum.

XI.

EST Natura principium motus & quietis eius, in quo eſt primo, per ſe, & non ſecundùm accidens: Materia & Forma vt rem naturæ, ita nomen obtinent. Ars natura inferior, eius tamen æmula, ei precium tribuit & dignitatem. Suſpeximus Artis opera ſæculis retroactis: Stupebimus etiam nouam quot diebus artificiatorum acceſſionem; quoties

Excudent alij ſpirantia mollius æra:
- - - Viuos ducent de marmore vultus:

quoties Archimedem imitati, Sphæram cōcinnabunt, in qua ex amuſim obitus, progreſſiones, conuerſiones Aſtrorum diſtinguent,

- - - - - - - - - Cœliq́; meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.

quoties digeret in numerū literulas Typographia, quæ [vt Sybilla olim]

Fata canit, foliisq́; notas & nomina mandat.

Aurum aut efficietur, aut potabitur; videbuntur

- - - Liquefacta boum per viſcera toto
Stridere apes vtero & ruptis efferuere coſtis;

è Cayri fornaculis pullorum agmina, naturā arte dirigente, producētur.

XII.

CAuſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud. Cauſarum genera cenſentur eſſe quatuor: Materialis, Formalis, Efficiens, & Finalis: priores Intrinſecæ, Extrinſecæ poſteriores appellantur. Materialis Subſtantiarum cauſa eſt Materia prima, eadem quantitatem ſola receptat, & media quantitate, alia accidentia corporea; ex potentia verò ſubiecti, naturali vel obedientiali, educuntur omnes formæ accidentium cæterorum. For-

rum. Formalis causa vna eademq; actione actuat materiam, & constituit naturale compositum, quod præter materiam formamq; modũ vnionis vnum in vno composito, eductum ex materia, terminatum ad formam dicit. Per vnitionem in fieri, per vnionem in facto esse, compositum tam Materia, quàm Forma causat.

XIII.

Effectrix rerum Causa, si secunda sit, Ens creatum est, à quo præcedens actio est ratio in actu secundo efficiendi. Princeps rerum causa DEVS, cum omnibus causis secundis ad agendum immediatè se ipso concurrit, eademq; agit effectione, quâ secundum agens absque omni prædeterminatione, aut præuia motione causarum secundarum: non tamen rationalibus causis necessitatem aut modum ponit, quoties agunt arbitratu suo. Actionum & Effectorum indiuiduatio, ab eorundem hæcceitate formaliter, effectiuè ab indiuiduali causæ primæ concursu, procedit. A gemino agente totali, eiusdem generis & ordinis, tam simul, quàm successiuè, diuinâ vi, vnus effectus permanens effici posset, & Thersander Græcô Polynice genitus, à Romulo:

Multi prætereà quos fama obscura recondit,

à viris clarissimis, DEI supposita determinatione, progigni potuissent. Absentis causæ in efficiendo vices obit DEVS. Instrumentum est aliquid efficientis. Idea dicens conceptum formalem intellectiui agentis, ad idem genus causæ pertinet.

XIV.

Finalem causam, cuius gratiâ fit aliquid, Bonum propter se appetibile, verum vel apparens in actu primo, metaphorica motio in actu secundo constituit. Effecta Finis sunt tam eliciti voluntatis actus, quàm ab eadem imperati, à reliquis effecti potentijs, honestatis, vel delectationis experiundæ causâ: commoda verò quibus vtimur, à nemine sui, sed honesti aut iucundi gratiâ expetuntur; quod liquidò monstrant quotquot generosioris animi sunt,

- - - - *Vitamq; volunt pro laude pacisci.*

Cæterùm vt Finis formaliter intendatur, intellectiuâ cognitione opus habet agens. Bruta quæ sensu dumtaxat pollent, cæteraq; agentia brutis inferiora ex naturæ instinctu, & materialiter tendũt in fines eos, ad quos ab Agente supremo ordinantur.

XV.

MOnstra sunt prolapsus causarum secundarum, pareguases naturæ à recta & solita secundùm speciem generatione exorbitantis. Hæc porrò in Viuentium genere sunt insigniora, & magis crebra. Monstrum est quandoq; enormis artuum, corporumue moles: vt erat verus ille aut fabulosus Polyphemus, cuius per æquor procedentis

Iam medium, nec dum fluctus latera ardua tinxit;

eiusdemq; lumen ingens,

Quod torua solùm sub fronte latebat
Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.

Quandoque membrorum multitudo: interdum partium specie distinctarum nexus; quin etiam bruta hominis proles. Alcippe Elephantum, serpentẽ altera, belli initio Marsici, progenerauit; vt Author est Plinius.

XVI.

NEscia mens hominum Fati, Sortisq; futuræ. At Diuinam prouidentiam rectè dixerimus esse ineluctabile fatum, seu inhærentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam DEVS suis quæq; nectit ordinibus, & quæ arcanam præscientiam liberè quorundam entium actiones, quorundam necessariò euenturas, è Diuinæ intellectionis specula prospectantem præsupponit. In causis secundis ex electione operantibus fortuitos, in necessarijs casuales effectus, assignat Christiana Philosophia; Casum & Fortunam causare per accidens docet. error cõmento veterum inerat, cùm dixêre;

- - - - - - - - - Sed nos
Te facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

DE PROPRIETATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

XVII.

COrpori Physico trina competit dimensio, quam vsitato Quantitatis nomine appellamus. Est autem Quantitas, accidens per se extensum, Lineam, Superficiem, & Corpus, velut species respiciens; aptum loco circumscribi, incapax actiuæ & passiuæ penetrationis.

penetrationis. Inanimis nullum magnitudinis aut paruitatis terminum præstituit Quantitas: moderatam viuentia poscunt magnitudinem; par iudicium de paruitate. Indiuisibilia realia, sua Quantitati, sua Qualitatibus corporeis, sua Materiæ sunt, itemque partes actu distinctæ. Infinitum categorematicum in Quantitate continua datur, quoad partes proportionales, quoad æquales de facto non est: an dari queat virtute supernaturali, controuersum. Angelos, animasq; rationales innumeras existere posse, vero simillimum; DEVM simul infinita pernoscere certum est.

XVIII.

INternum Vbi, habent Entia creata, definito aut circumscripto modo. Locus extrinsecus est superficies corporis continentis immobilis, immobilitate vasis opposita mobilitati. Entis increati centrum vbiq; est (vt Trismegistus ait) circumferentia nusquam; imò si quæ producere-tur extra sidera tellus (vt Poëta cecinit) extra anni Solisq; vias, DEVM præexistentem reperiret. Singula corpora singulis illocantur locis: posset (annuente DEO) Æneas procurrens in acie Turnum absentem in prælia poscere, & simul Turni metu sese in latebras nauigij longè dissiti conijcere; hoc est, Corpus vnum gemino simul in loco statui. Eodem etiam in loco plura corpora situaret DEVS, vt hæreat pede pes, densusq; viro vir. Nos fidei, id de Christo, monumenti saxum, fores conclusas, vterum Virginis Genitricis, solidaq; cœli corpora peruadente, affirmanti firmiter assentimur.

XIX.

VAcuum & Inane seu Spatium imaginarium, sunt loca corpore carentia, eodem repleri apta. Superficierum terminantium connotatione, vacuum ab inani dirimitur; creatâ virtute dari nequit, sed Diuinâ: posteaquam daretur, qui

Stridentem fundam positis Mezentius armis
Ipse ter adductâ circum caput egit habenâ:

tempora plumbo non diffinderet; nec caderet qui

Cæruleus supra caput astitit imber
Noctem hyemq; ferens.

in medio tamen vacui posita, posset talis Getas insectari

- - - - *qualis equos Threissa fatigat* *Herpalice,*

Herpalice, volucremq; fuga praeuertitur Hebrum.
neque procurſus hic vno inſtanti, ſed ſucceſſiuè perageretur.

XX.

MOtum adæquatè definiueris eſſe actum entis in potentia, quatenus in potentia: ſucceſſiuus eſt motus omnis: inſtantanea mutatio Motus nomen per κατάχρησιν vix meretur. Tam Motus quàm Mutatio à Mobili modaliter, ab Actione & Paſſione per rationem diſtinguitur, recipitur in mobili, à Termino ad Quem ſumit ſpecificationem & contrarietatem. Vnus perfectè Motus eſt, ſi temporis quoque, termini, & mobilis, perfecta adſit vnitas. Quare Ieſabel Achabia coniunx, inter labendum ex præalto loco vitam efflans, non vſquequaque vno, ſed ratione eiuſdem materiæ, eorundemq; accidentium, vno motu humum petiuit. Alteratio Augmentatioq; ad Inſtans & Succeſſionem ἀδιάφορα ſunt. Abacuch Propheten quem fulminis ocyor alis tranſportat Angelus, per ipſum DEI numen deferri in inſtanti ἀδύνατον erat.

XXI.

RErum Duratio ſola formalitate ab eorum Exiſtentiâ differt: hæc ſi permanens ſit, & ſimul initij ac finis expers, Diuinam æternitatem, quæ eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, conſtituit. Creatura verò ab æterno producta, non Diuinâ, ſed participatâ æternitate duraret. Angelorum & rationalium animarum permanentia, Æuum; hoc eſt initiatam, ſed limite à parte poſt carentem durationem exigit: cœpit illa eſſe intrinſecè, deſineret per Diuinā vim tam intrinſecè quàm extrinſecè. Materiales formæ & compoſita Phyſica, ſubiecta corruptioni ſunt: ijs proinde

Prima, quæ vitam dedit hora, carpſit.
Et *Stat ſua cuique dies, breue & irreparabile tempus*
Omnibus eſt vitæ.

Subſtantiæ tamen qua tales, tempore non menſurantur. Succeſſiua duratio, ſeu Tempus preſsè acceptum, eſt numerus motûs ſecundùm prius & poſterius. Incipiunt intrinſecè, deſinunt extrinſecè, compoſita permanentia. Indiuiſibile vnumquodq; intrinſecè: ſucceſſiuum quidquid eſt, extrinſecè & deſinit, & inchoatur.

DEMVN-

DE MVNDO ET COELO.

XXII.

MVndus quoad quantitatem consideratus, Sphæras cœlestes, & quatuor Elementa complexu tenet suo: Mixtorum admiranda varietas & varia pulchritudo, Mundus quoad qualitatem est. Vtriusque finis vltimus DEVS est, immediati fines Homines vniuersi, rerum domini, à DEO conditi. Vterque non per se, sed per coordinationem est vnum Ens, absolutissimæ in suo genere perfectionis; vt gubernari à DEO, situariué perfectiùs, finem, symmethriam, & ordinem consequi diuininiorem nequeat; accidentium solummodo perfectione, & Entium augmento magis possit exornari. Vterq; liberè productus, & certo tempore,

Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri.

XXIII.

COnstat fide & experimento, vnum de facto mundum esse, plures, & propemodum infinitos produci à DEO posse, rationi & vero conforme est. Poterat mundus, quoad rerum permanentium productionem, fieri ab æterno; quoad Entia successiua, nequibat. Adam verò, si DEO coëxisteret ab æterno, vel actum intellectionis eliceret nullum, vel in sua sibi Deoq; coæterna intellectione perenniter permaneret. Fide credimus Mundum perpetuò non duraturum in eo quo nunc fruitur statu; sed vniuersali iudicio peracto, instaurandum à DEO: estque propius veritati, fore vt orbes Cœlici, præter Empyreum (nam hic Beatorum domicilium est) secundùm accidentia perficiantur. Aër ab impressis exhalationibus, Aqua ab accidentibus extraneis, Terra ab excrementis, ignis operâ interueniente, repurgentur, & raritatis, lucis eximiæ, cæterarumque velut dotium accessione decorentur. Æternùm nihilominus duraret mundus cum ea rerum & generationum vicissitudine, si DEVS aut hominum generi denuntiasset:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi.

aut illum ita comparatum statuisset æuo interminato conseruare.

XXIV.

ACtio mundi productiua erat creatio, quæ efficit quidpiam ex non præsuppoſito ſubiecto; ea neque eſt ſola Dei volitio, aut ipſa creatura, aut relatio creaturæ ad creatorem: ſed diſtinctus à termino creationis modus. Entium omnium, aut aliquorum, principalis vel per naturã inſtrumentaria creatrix, nequit eſſe creatura; ſed à Deo poteſt ad creandum, per obedientialem potentiam, eleuari. Formas omnes tam ſubſtantiales, quàm accidentales producere poteſt creatio, modis rerum exceptis. Angeli, Materia prima, & rationales animæ, quæ per ſe terminant creationem, nullo pacto poſſunt terminare generationem.

XXV.

DEcus & prænobilis vniuerſi pars, ignara generari & corrumpi, Cœlum eſt; diuerſâ ab elementis præditum eſſentia, eâq; ſimplici, ſimplicitate contra mixtionem diſtinctâ. Octo Sphæras mobiles comprehendit, cœlum nonum Empyreum dicitur, & Beatitatis locus eſt: primum mobile ſtellas immotas gerit, eſtque earundem Firmamentum, qui ſuperſunt cœli, Planetas deferunt; Saturni quidem orbi Firmamenti, Saturnali Iouis, huic Martis, iſti verò Solis, Solari Veneris, Venereo Mercurij, Mercuriano Lunæ orbis attiguus eſt. Adeſt ſingulis materies à Sublunari & orbium cæterorum materie ſpecificè diſtincta; ſingulis item forma ſpeciei diuerſæ, animâ quauis inferior, ſublunarium inanimorum formis antecellens. Omnes qualitatum corruptiuarum ſunt incapaces, ab Agente naturali nunquam immutati; ſtellam verò, quæ ternis denis Caſſiopeæ ſideribus portento ſimilis acceſſerat, Anno 1572. ac deceſſit exacto biennio, ad agens ſupernaturale producens vel addenſans cœli partes, referri oportere, ſcitum eſt.

XXVI.

QValitas Cœlorum perfectiua lux eſt, eandem cum lumine ſublunarium ſortita ſpeciem, calorem virtualiter efficiens. Rariores cœli partes perſpicuitatem habent, Aſtra lumen natiuum perexiguum; ſed hæc vbertim Sol, cuius lucem reuerberant, lumine veſtit

Purpureo, Solemq; ſuum ſua ſidera norunt.

Stellarum ſcintillatio nulla eſt; ſed hanc illis affingit viſus noſter imbecillus. Lunares maculæ non ſunt vallium, montium, nemorumue icones vul-

nes vulgò creditæ; sed raræ admodum Lunæ partes, quæ lucem Solis modicè reflectunt, abundè transmittunt. Galaxia cœlestis est maxima minimorum siderum multitudo.

XXVII.

Circumaguntur octo cœli (Empyreum enim fixum consistit) à totidem Intelligentijs, quarum motrix facultas alia est ab intellectu & volitione: omnes cœlos infra octauam Sphæram sitos, & propria, & octauæ Sphæræ Intelligentia rotat occasum versùs ab ortu, non è conuerso. Cœlis, vt sunt causæ vniuersales, secundùm; vt corpora particularia, præter naturam est motus: & erit quies præter lapsum postremi iudicij tempus exceptura. Quadrum perfectum exprimit cœli Empyrei figura, vt quidam volunt; circulum, vt alij: orbium reliquorum Sphœrica est, peraccomoda circumactioni, adeo regulariter institutæ, vt eam Pythagoras admiratus finitimam concentui ad numeros reuocato, vel metaphoricè, concentum ipsum esse pronunciauerit.

XXVIII.

Sidera fixa cœlis inseruntur; non innatant, vt opinata est Antiquitas. Oberrant Planetæ vagabundi, vnde & nomen inuenerunt. Fixorum numerus exæquat 1022. sua cuique sunt loca, nomina, & officia. Motus Planetarum, Epicyclos, Excentricos, & concentricos requirit; tardior est cæterorum, Solis, & inferiorum Planetarum pernicissimus; dũ enim medios orbes, aut ne medios quidem cæteri emetiuntur:

Interea magnum Sol circumuoluitur annum.

Idem Amplitudine sua, centies sexagies sexies peruincit terræ molem, quâ itidem sidus firmamenti vel minimum, decies octiesq; est maius.

XXIX.

Inter extremam terræ superficiem, & eius centrum, quod infernus occupat, 860. milliar: intercapedo est. Tam

Longa mæstos ducit ad manes via.

Quod si à centro terræ, Lunæ cauum infimo loco positum, 28359. (quod illi qui

Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Atq; Ossæ frondosum inuoluere Olympum,

neutiquam contingerent) ab eodem conuexum firmamenti, cui quadratum vel teres Empyreum corpus imminet, 16327966. Polonis milliar: interstingui minoris, dicas licebit: Respectiuè

- - - - - Facilis descensus Auerni:
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est.

XXX.

SOl medius inter reliquos orbes interiacet, quibus etiam longè dignior est, & actiuior. Cæteri quò situ sublimiores, eò magis præcellentes, & maiori pollent ad agendum in inferiora potestate. Dierum vicissitudines, commutationes anni temporum quadripartitas, ad temperationem corporum aptas, zonas partim habitabiles, partim incultas, quæ aut frigore rigeant, aut vrantur calore, frugum & fructuum vbertatem, cæterosq; cælorum effectus, potissimâ ex parte Soli attribues. Lunæ impulsu, reciprocos motus agit mare;

Exultantq; vada, atque æstu miscentur arenæ.

Ostrea, Conchilia, Cancri, Lunæ accretionem decretionemq; imitantur. Sol Heliotropij & Scorpiuri flores secum circumuertit. Cùm oriens exurit Syrius agros; Para auis non comparet, donec occidat; Thynni marini cursant æstro perciti; Cuculus occulitur, itemque Lúscinia, & canere desinunt. Hæc, cæteraq; id genus, in reconditas cœlorum qualitates; non in solam lucem, aut calorem, sunt referenda. Cœli influxu quiescente, inferiora hæc non quidem mox labefacta concidant, sed collabi sensim incipiant, est necesse.

XXXI.

COEli, instrumentariâ virtute, producunt imperfecta Animalia, è putri materia prognata, quæ tamen eandem cum perfectis nacta sint speciem: tales apud Hypanim fluuium, qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas nasci, quæ vnum diem viuant. Sol verò neque instrumentaliter generat hominem, aut perfectius aliquod Animal: sed tantùm, vt causa vniuersaliter adminiculans sublunarium procreationi. Quare Vituli generatio intra nubium conceptacula (vt arbitratus est Auic:) fieri nequiuit: sed ventorum, aut Dæmonum vi eo delatus erat, indeque post modum lapsus. Equas in Lusitania concipere ex

re ex aſpirante Fauonio, fabella eſt. neque Fænix aſtrorum virtute ex patrijs cineribus, ſed è vitali ſemine exoritur; ac idcirco neque auis vnica eſt.

XXXII.

AGunt Cœli directè in corpora hominum, in animos indirectè, & velut per accidens; quatenus nempe corpus inclinat ac adiuuat motus animorum. Hinc

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vani, & plerumque temerarij Genethliaci, Iudiciarij, & Planetarij, quoties inſpectis leuiter ſideribus, liberos hominum effectus prænoſcere ſe putant,& ferunt in vulgus. Sapiens enim dominabitur aſtris. Morbos, frigora, tempeſtates, terræ ſterilitatem, ſiccitatem, & motus, probabiliter; ſiderum, Planetarumq; ortus, occubitus, ecclypſes certò ex inſpectione cœlorum, noſſe Aſtrologis vix conceſſum: quantò minor ijſdem ex Aſtrorum phœnomenis, fatalem neceſſitatem indicentibus, habenda fides.

DE ORTV ET INTERITV.

XXXIII.

GEneratio ſubſtantiarum, eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili permanente, vt ſubiecto eodem: fit illo inſtanti, quo Corruptio. Forma, inadæquatus; Compoſitum, totalis terminus eſt generationis. Subiectum verò materia, cum qua manent complura accidentia in genito, quæ aderant corrupto. Vidiſſes poſt funera Deiphobum, perinde vt ante,

- - - - - - - lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq; ambas, populataq; tempora, raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Quæ ſemel occubuêre, tam permanentia, quàm ſucceſſiua, reproducere naturæ author poteſt; quod palàm faciet vniuerſalis noſtrûm omnium Regeneratio. Pellicanus interfectis proprium cruorem pullis aſpergens, ne quicquã proficit: ſi tamen obſtupuêre, vigori priſtino reſtituuntur. Sic vere ineunte, quæ obriguerat, reſumit vires,

Indociliſq; loquax gutture vernat auis;

& muſcæ prouolant, ſyncopen ſenſuum hyeme paſſæ.

XXXIV.

ALteratio in communi, est mutatio secundùm qualitates, eodem subiecto sensibili remanente; causat veram qualitatum receptionem. Tarandus ergo, (animal id est Scythicum) Chamæleon, & Polypus, ob sui corporis raritatem, & frequentes poros, varias colorum species referunt, non verò colorantur. Alteratio non fit per minima interpolata, sed continuò, & successiuè. Intensio in gradus perfectionis ad imperfectiorem additione in specie qualitatis, & parte subiecti, eadem consistit: gradus porrò indiuiduali, partialiq; differentiâ, perfectiorem entitatem connotante, à se inuicem distinguuntur. Qualitates corporeæ, secundùm se consideratæ, itemq; spirituales naturales, par uitatem versùs, terminum habent nullum; earum magnitudo intensiua, gradu octauo naturaliter absoluitur: millesimum gradum, eoq; amplius addere potest vis superna, quæ supernaturalium qualitatum accretionē, certis velut cancellis haud circumscripsit.

XXXV.

IN motu Physico propriè dicto, mouens, à Mobili realiter seiungitur; proprietatum à substantia dimanatio, calidæ aquæ ad natiuum frigus regresio, iure tribuitur generanti. Agens increatum, sicubi præsens non est seipso, non agit: Creatum non contingit passa distantia, quin contingat intermedia: idcirco Sol in locis terræ intimis, per virtutem toto in medio diffusam, metalla progenerat, fascinantes malignam qualitatem ex oculis, & vultu eiaculantur; attractiua virtus vmbræ, paleas, Adamantis, & Magnetis ferrum trahit, vtraq; in medio propagata: Echeneis nauigio mordicus affigitur, deinde retinet illud robustissimè, naturâ vires abditas exerente, & lacertosos remigum toros deridente: Torpedo piscis, aurâ quadam sui corporis, & hamum afflat, & piscatoris dexteram; non ille tamen, sed hæc stupescit. Instrumenta à Deo sublimata in distans operari, argumento est ignis tartareus, Dæmonas in aëre commorantes, vrens.

XXXVI.

SImile in specie, non in gradu, agit in simile; & simile in vtroq; non agit. Reflexam qualitatem corpus illud intendit, à quo fit reflexio: sic, lamellas Procli radius Solaris aduerberans, è regione consitas naues

incen dit

incendit. Antiperistasis contrariam qualitatem à passo vel extrahit, vel repellit; quandoque concentrat natiuam eius virtutem, quandoque magis intensam reddit. Ita brumali tempore, humanus stomachus calidior est; aqua in puteis æstate frigidior. Agentia repati & agere, pati & reagere passa, secundùm eandem etiam contrarietatem, docet vsus, niue manum infrigidante, & manu niuem resoluente.

XXXVII.

Elementa sunt corpora simplicia, generabilia, sublunaris materiei, quaterna sublunarium principia. In his locum priorem ignis obtinet summè calidus, moderatè siccus: Sphæra eius, lunæ cauo contigua. nam hinc etiam vbi

Intonuére poli, crebris micat ignibus æther.

Terræ gremium, igni præternaturale est; nullam proinde quietis in eo partem capit: hinc

Horrificis iuxta tonat Ætna ruinis,
Interdumq; atram prorumpit ad æthera nubem,
Attollitq; globos flammarum, & sidera lambit.

In ærarijs Cypri fornaculis, vbi Chalcites concrematur, pyraustæ oriuntur, & ibidem degunt; Salamandra vires ignis diutissimè sustinet: Linum Cyprum purgatur ab igne, non exuritur; ardor Asbesti lapidis restingui nequit: fors hæc ignium differentijs à materie petitis, & prægelido animalium temperamento adscribenda. Flammæ inferorum nullo pastu egent, aboleri nequeunt, vstulant animas, corporaq; at non absumunt: Diuinum id miraculum est. Ignescunt corpora per collisionem, & motum; si interceptus aër rarescat, & incendatur prius: id experientia probat,

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo.

XXXVIII.

AEr humidus in summo, propè summum calidus, triplici regione distinctus. Supremâ, quæ calidissima ob ignis sphærici contiguitatem; Mediâ, quæ propè algida ob terreas exhalationes; Imâ, quæ temperatior ob reflexos radios Solis. Chamæleon & Monocodiata, non àere puro, sed vaporibus admixto nutriuntur. Maximum frigus, & remissus humor, aquæ debita sunt; præterea nulla qualitas secunda, si in statu naturali

naturali aqua perseueret: Salsedo maris, ex terrei sicci cum humido permistione, prouenit. Fluuiorum quidam & Fontium è mari, quidam ex àére addensato, & guttatim destillante, ortum habent; varia virtute pollent, & vario discrimine. In Bœotia fluentum est duplex; horum alterum memoriam exacuit, obliuionem adfert alterum, quod Lethen vocant: vt non immeritò Virgil:

- - - - Lethei ad fluminis vndam
Securos latices, & longa obliuia potant.

XXXIX.

TErra, loco, & dignitate, vltimum est elementum, frigida in præcellenti, maximè sicca; hæret immota in vniuersi medio, cuius centrum Physicum, non Mathematicum est: vnum cum aqua globum physicè constituit; plerisq; montibus à Deo in prima mundi creatione distincta, nunc in dies quosdam alios natura egerit, quosdam æquat solô. Terræ locus omnis incolitur, siue is prematur æterno gelu, siue ibi sit, vbi

- - - - - - - - Cœlifer Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

Mira sub ipso penè Æquatore vbertas Regionum, mira cœli clementia. Antipodum oras, in Regna, & Eparchias distributas, incolunt permulti; iamque inibi Christiana fides longè latèq; propagari cœpta; vt eas dari nemo ambigat.

XL.

CAlor, Frigus, Humiditas, & Siccitas, actiuæ sunt qualitates, & passiuæ; inæquabiliter tamen: priores siquidem magis agunt, quàm resistunt; posteriores contra. Calor ignis ab àéreo, imò cœlesti etiam, & vitali differt numero, non specie; par de Siccitate Ignea, Terreaque; Humore Aqueo, & Aéreo; Terrestri Algore, & Aqueo iudicium. Grauitas Terræ, summa est, & tam ab aquæ grauitate, quàm ab Ignis Aérisq; leuitate, essentialiter diuersa. Ignea leuitas eminentissima, & simul ab àéris leuitate, terræ, & aquæ grauitate, per speciem separata. Grauia leuibus eminentiora descensionem, leuia subdita grauibus, sursum ferri expetunt: grauia deinde & leuia sub finem, proiecta initio, in medio progredientia velociùs promouentur.

DE ME-

DE METEORIS.

XLI.

Meteoron, imperfectum mistum est, ab ijs, è quibus miscetur, elementis specie non differens: eius materia remota, terra, & aqua; proxima, vapor, & exhalatio: Efficiens mediatum, astra, immediatius calor, motus, antiperistasis: Locus, aër trinè diuisus, terra, & aqua: Finis, elementorum puritas, & vniuersi ornamentum. Permissu numinis, efficere Meteora Dæmon potest, posteaquam naturalia passiuis, actiua commiserit. Impressionum ignitarum tot sunt discrimina, quot figuræ; ex hisce insigniora sunt, quæ

Transcurrunt, crinemq; volantia sydera ducunt.

Auram pestilentem, Magnatum obitus, bella, horrida bella, prænunciát,

Si quando nocte Cometæ

Sanguinei lugubre rubent.

Tonitruum nubem concutiens ac elidens, fulgur leuiter accensus, fulmen probè igniens, terramq; petens, halitus est: cum fulmine decidit quandoque prædurus lapis, ex terra halantis materie, intra nubes coágmentatus.

XLII.

Impressio ventosa prouenit ab exhalatione arida, copiosa, per àërem obliquè fortiter & longè mota. Ventorum alij Orientales & Occidentales, Meridionales & Septemtrionales alij: eorundem varia temperies, nomina, & effecta:

Soluitur acris hyems grata vice veris & Fauoni. Eadem

Aquilonibus asperat vndas.

Nauigijs violentior incidit Eurus,

creberqué procellis

Affricus.

Calidi & humidi Australes, calidi & sicci Orientales, Occidentales humidi, frigidi Aquilonares plerumque: persæpe verò peregrinis qualitatibus, etiam locorum quibus aspirant, imbuuntur. Turbulentiores venti tres extant; procella, turbo, præster: prior est exhalatio multa, confertim intra nubem conclusa, cum fragore deorsum labens: posterior vortex, qui à mutuo ventorum concurrentium impulsu gyratur: postremus est

mus est ignescens, & incendens obuia quæquè, exhalatio. Luna si

Virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit.
Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cœlo labi, noctisqué per vmbram
Flammarum longos à tergo albescere tractus,
Sæpe leuem paleam, aut frondes volitare caducas.
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

XLIII.

PLuuia, est aqueum Meteorum, ab aquosa nube in stillas resoluta proueniens, quæ si densiùs, & minutatim defluat, imber dicitur; nimbus, si densa cadat, & cum grandioribus guttis. Prænotant imminentem pluuiam pleraque indicia, & ex his quædam Mathematica: Sol

Vbi nascentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe,
Suspecti tibi sint imbres.
Luna, reuertentes cum primùm colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprénderit aëra cornu,
Maximus agricolis, pelagoq; parabitur imber.

Idem accidit, quoties

Stellis acies obtusa videtur.

Quædam vulgata, & agri colonis vsitatiora, quibus

nunquam imprudentibus imber
Obfuit, aut illum surgentem vallibus imis
Aëriæ fugêre grues; aut bucula, cœlum
Suspiciens, patulis captauit naribus auras;
Aut arguta lacus circumuolitauit hirundo.

Sanguinem, ferratas massas, ranas, pisces, carnes, si quando pluuia secum attulit, interdum à causis naturalibus, crebriùs à Diuinis prodigijs fuisse id profectum censeamus.

XLIV.

PLuuia in áëre conglaciata, non pluuia, sed grando est: eadem exhalationi terreæ in glaciem vergenti commista, lata, sparsimqué decidens niuem, rotundior & obducta cortice glaciali, granedulam facit.

Rorem,

Rorem, vapor à terra paululum eleuatus, si frigus noctis adsit temperatum; pruinam, si acrius, gignit. Florentes herbæ, succum vaporis tenuissimi ab aëre liquati, prædulcem excipiunt, quem apes

æstate noua per florea rura

vbi collegêre, maturant; dein

liquentia mella

Stipant, & dulci distendunt nectare cellas.

Subtiles terrei halitus partes à Sole decoctæ, aliquantum humidæ, inspersæ herbis granorum more, Syriaco idiomate dici consueuerunt, Manna, in Calabria non infrequens, & Medicis vsibus peropportunum: hoc ab Hebræo Manna non specie, sed saporifero accidente, quod Angeli naturalia passiuis, actiua commiscentes, indiderant, vincebatur. Manna Polonicum, rorulentus, & in graminum cacumine residens; Saccharum, àëreus ab arundinibus Arabicis potissimùm, Indicis, & Canarinis receptus, vel elicitus ex ijsdem, succus est.

XLV.

ARcus, mille trahens varios aduerso Sole colores, Iris est, ex Phœbei minùs magisqué viuida luminis reuerberatione puniceum, virentem, & purpureum colorem exhibens: naturale signum diluuij particularis nusquam, vel tardè futuri; diluuij vniuersalis absfuturi, signum morale est. Area seu Halon, est vapor ab astro irradiatus, idemque velut coronans. Voraginem vapor copiosus, hiatum perexiguus, profundè à syderibus oppositis illustratus, refert. Virgæ apparent, quoties aut Sol promiscuè raram, densamq; , roscidam tamen illuminat, aut Solares radij multifidatim peruadunt nubem. Cùm nubes humida, æquè densa, obiecta Soli, aut Lunæ, vnam, pluresuè eorundem figuras repræsentat. Parelion est.

DE ANIMA.

XLVI.

MIstio perfecta, est miscibilium alteratorum vnio. Elementa, quæ sola, ea que non semper omnia, in mistionem veniunt, non actu, sed virtualiter in mixto, peracta mistione, relinquuntur; ex quibus oritur naturale temperamentum, quod in qualitatibus motiuis tantùm, vel alteratiuis æquale ad pondus dari potest, in

eſt, in vtriſque ſimul non item. Animata mixta cæteris nobiliora. Quid autem ipſa ſit anima, aut vbi, aut vnde, magna eſt diſſenſio: Empedocles animam cordi, ſuffuſum ſanguinem; Zeno Stoicus, ignem; Zenocrates, numerum Pythagoreo ſimillimum eſſe cenſuit. Ariſtoteles longè omnibus præſtans, proximiùs veritatem intuitus, pronunciauit animam eſſe actum corporis organici, potentiâ vitam habentis, & eſſe principium quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus.

XLVII.

SPecies animarum ternæ cenſentur: Vegetatiua, Senſitiua, & Rationalis; prima plantis, ſequens animantibus, extrema hominibus debita; quæ tamen in vno cõpoſito re diſtingui nequeunt. Herilus ergo Rex

Naſcenti cui tres animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma mouenda,
Ter letho ſternendus erat:

habuit vnam re animam, ter geminam formalitate. Vegetatricem ſenſitiua, vtramque Rationalis formaliter ſimul, & eminenter comprehendit: illæ corporeæ vt quod ſunt, & materiam diuiſibiliter animant, hæc Spiritualis, & tota totum, tota ſingulas Compoſiti partes informat. Nulla anima pluribus indita Compoſitis ſimul, aut ſuceeſſiuè: Palingeneſiam Platonicam, & Pythagoræ Metempſychoſin, vt erroneas, auerſatur Philoſophia. Nulla etiam anima præexiſtit ante compoſiti productionem: ſtellæ compares, quibus inſiſterent animæ corporibus nondum copulatæ, Platonis delirium erant.

XLVIII.

BRutos viuentium fœtus, ſola anima Senſitiua informat; Rationales, ſola Rationalis; vtraque ſeminis formæ ſuccedens immediatè. Oſſa, cerebrum, medulla ſpinalis, cutis, caro, venæ, nerui, arteriæ, cor, hepar, & cæteri artus, quotquot vitæ functionibus deſtinantur, animati ſunt: pili, vngues, cornua, plumæ, phlegmata, ſanguis, cholera, melancholia, cuticula, medulla oſſium, lac, adeps, ſemen, inanimata; formas tamen animâ inferiores obtinent. Animatæ corporis partes ab anima heterogeneitatem, non à formis (quas vocant) partialibus habent: eædem miris ligaminibus continuantur. Inanimatarum partium quædam pererrant corpus, quædam adhærent, quædam excernuntur.

Problemata.

Problemata.

AN Indiuidua eiusdem speciei, sint æqualis inter se perfectionis substantialis partialis, vel in eadem à se inuicem differant?

AN partes viuentis Heterogeneæ specie incompleta partiali, vel differentia Indiuiduali partiali, inter se distinguantur?

XLIX.

POtentiæ realiter ab anima distinctæ, suis organis circumscribuntur; Sensitiuæ soli Materiei, Spirituales animæ rationali insunt: Speciem ab actu & formalibus obiectis sumunt; ab anima dependent vsq; adeò, vt ipsius Dei nutibus, ab ea secerni quidem, at non operari extra illam queant, eiusdemquè influxu immediatè vtiliter operantur. Vegetatrix anima, tres continet potentias, formaliter distinctas: nutritiuam, augmentatiuam, generatiuam; quibus attrahens, decoquens, retinens, expellens, deseruiunt. Obiectum eius remotum, omne mistum est; proximum, solus sanguis in hepate generatus, in venas ab eodem dispertitus.

L.

VIuens, continenter alitur, quoad omnes, tam æquales, quàm proportionales; tam spermaticas, quàm nutrimentales partes. Cibi expers & potionis, non superuiuit animal vegetum, aut diuturnum. Commentitia de Romano viro, annis quater denis sine cibo superante, Rondelecius refert. In vsu ciborum, assuetudo maius, omnium opinione, momentum habet:

Profecit poto Mythridates sæpè veneno
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

In delectu permagni refert, penitùs internoscere, quid alimenti vniuscuiusque requirat complexio. Malesuada fames est; concerpit enim stomachum cibi appetentem, & vicina stomacho membra; Sitis linguam excoquit, & fauces: illa calidi & sicci, hæc frigidi, & humidi appetitus est: sedatur vtraq; nutrimento, quod omnes aliti partes adauget, omnes diminuit opera natiui caloris: solidiores attamen, ossa exempli gratia, manent eædem numero, auctæ insigniter, non prius absumptæ, in extremo etiam vitæ. Augmentatio viuentis, ad annos consistentiæ, quos 25. ætatis annus adfert plerumque, durat: Nutritionis tempus totum vitæ æuum complectitur.

LI.

FAcultas vitalis, est eadem nutriens potentia, in corde collocata, & spirituum vitalium generationi addicta; Systolen cordis & Diastolen, quas gemina quies interpolat, efficiens, vt fumidus cordis vapor extra propellatur, & calor eius, appulsu noui aëris, contemperetur. Arteriæ, quas cordis motus commouet, non dilatantur, quia implentur; sed vt impleantur, latiores pandunt sinus. Animalis facultas a potentia nutriente, quatenus illa cerebro ingenita est, & spiritus animales motum, tentationemq; exercentes, procreat, non distinguitur. Thoracis motus, causat respirationem; thoracem verò pulmones, propter motum vacui partialis, promptè sequuntur.

LII.

NVtritio non fit in instanti, sed successiuè; non ita vt nunquam interrumpatur, sed quando fit, successiua est. Augmentatio est verus motus, cum vera successione coniunctus, in quo tamen quantitas producitur nulla, sed præexistens alimenti moles, cum mole corporis aliti, connectitur quantitatis indiuisibilibus, quæ sola tunc recens ex eius potentia educuntur. Rarefactio, quam natura sociauit augmentationi, est motus ad qualitatem raritatis, ita corpus afficientem, vt eius ope maiorem magnitudinem habeat, minorem, absente illa; maneat verò semper eadem quantitas, & materia. Cespitarunt veterum plerique, rarefactionem aut in pororum vacuitate, aut in corpusculorum interiectione, consistere arbitrati.

LIII.

GEneratio viuentium, est origo seu processio viuentis à viuente, vt à principio coniuncto, in similitudinem naturæ. Natus quo magis generanti similis, eò perfectiorem generationem nactus esse censetur: vniuocam similitudinem, æquiuoca perfectiorem arbitrare; quocirca proles in aquilarum genere, cùm Haliæethum aquila, phœnas Haliæethus progenerat, perfectæ generationis rationem non habet. Organa generationis, non sunt omnia membra corporis, sed vasa duntaxat spermatica, quorum est apparare, decoquere, & conseruare genitale semẽ; cuius materia duplex est, altera sanguis sola quantitate superfluens, ex

venis

venis tractus, altera spiritus vitales ex arteriis, in loca spermatica deriuati. Vterq; sexus, semen conficit, & concurrit tam actiuè, quàm passiuè, ad fœtus generationem; in qua principalia membra, cor videlicet, cerebrum, iecur, ossa, nerui, simul ex spermate efformantur.

LIV.

SExuum differentia, non specifica, sed accidentalis est; inuiolabili tamen naturæ sanctione roborata, vt maris in fœmellam, vel huius in marem Metamorphosis, figmento conformior sit, quàm veritati. Exteriora parentum, lineamenta in prole visuntur, propter vim formatricem semini insitam, quandoque ob concipientis imaginationem. Monstrorum, quæ in fœtibus viuentium frequentiora, causa ad imaginationem, seminis copiam vel exiguitatem, & diuersorum specie seminum confusionem, referenda.

LV.

POtentia sensitiua, ad præstandas operationes eget concursu specierum sensibilium in genere causæ Efficientis; neque per solam receptionem huiusce modi specierum, sed actiuè exercet sensationes suas. Habent species sensibiles tam extensiuam quàm intensiuam, & in repræsentando diuisibilitatem: neque sunt quædam peregrinæ substantiæ, aut subtilia corpuscula; sed accidentia realia, è potentia medij, organi, & sensitiuæ potentiæ producta, obiecto ignobiliore eius, tamen vice sensationem adiuuantia. A sola specie obiectum absens repræsentari, & specie non repræsentante, probè sentiri, si Deus volet, potest. Ita Diuino Abbati Benedicto, Solaris radius, species vniuersum repræsentantes, exhibuit.

LVI.

ENS incorporeum, aut materiales Substantiæ, nequeunt sentiri per se, accidentia sola mouent sensum. Nullus præterea sensus propria sensationem, aut eiusdem carentiam, positiuo actu sentit. Sunt sensibilia, alia communia, vt motus, quies, figura, numerus, magnitudo; alia propria: illa complures sensus, hæc vnum peculiarem terminant. Species proprij sensibilis, speciei commune sensibile exhibenti, coniungatur, & ab ea modificetur, necessum est. Indiuisibile quoad locum, nequit

nequit à sensu percipi: quare Christi corpus in Eucharistia, per Diuinam etiam potentiam, cerni impossibile est.

LVII.

ERror sensuum externorum nusquam est, si obiectum moderatè distans, medium benè dispositum, & organum minimè impeditum sit: positis tamen cæteris paribus, frequentius circa sensibile commune, & multò crebriùs circa sensibile per accidens, quàm circa proprium error sensuum contingit. Sensus non ab obiecti vehementia tantùm, sed alijs ex causis ab obiecto læditur: vel neruorum, qui sensus ministri sunt, obstructione, vel humoris debiti exarescentia, aut indebiti influxu; vel si diu multumqué sensatio protrahatur; & ex alijs originibus.

LVIII.

EXternos sensus, vt natura, & munere, ita loco visiua potentia superat: eius organum oculus est, quem suæ inuestiunt & adornant tunicæ: Integrat humor albugineus, vitreus, & crystallinus, quorum postremus opticam retinet potentiam. Color, primum visus obiectum est, à lumine, si verus sit, omninò diuersus. Ex reflexo lumine color apparens, verus ex primarum qualitatum contemperatione oritur.

LIX.

LVmen, est alterum visus obiectum, & simul conditio, quam ad videndum oculus exposcit; qualitas realis, primis facilè superior qualitatibus, illustrat medium, & obiectum, vt vulgi error sit, Lynces trans parietem sita, contueri posse, existimantis: neque Argonauta

trans Pontum quoque
Submota Lynceus lumine immisso videt.

Reiectandi pariter aquileges, quoties subterfluentis aquæ meatus humi reconditos se perspicere iactitant. Speciem sui transmittit lumen, neq; Diaphanum tantùm penetrando lustrat corpus, sed opaca etiam; non superficierum tantùm, sed partium profundiorum tenus illuminat. Extra missio visualium radiorum, olim Platoni, & Stoicis probata: illam nunc Schola Peripatetica ridet.

LX.

LX.

ORganum immediatum auditûs, eſt àër congenitus, immobiliter auribus incluſus; Obiectum, eſt ſonus, à motu locali ſonatiui qualitas realiter diſtincta, quam efficiunt tria corpora, actu, vel potentia diſcontinua; tam in produci, quàm in conſeruari dependet à motu locali, aliquam tamen permanentiam in ſuo eſſe ſortitur; in àëre, & aqua, tanquam in ſubiectis recipitur, à ſonatiuis principaliter cauſatur; in medio ſonus à ſono non propagatur, ſed ſpecies tantùm multiplicat intentionales. Echo fit per reflexionem ſpecierum ſoni ad auditum, à locis concauis. Organum olfactûs, ſunt proceſſus mamillares; obiectum odores, qualitates ſecundæ, quarum materia potiſſima eſt, ſiccum aqueo humido commiſtum; ijdem per àërem & aquam mediantem, ad organum deferuntur.

LXI.

GVſtus ineſt neruis linguæ, & palati ſimul; Obiectum eius ſapores ſunt, cauſati ab humido aqueo, cui tenue ſiccum adiungitur: dulcis ſapor, & amarus, extremi ſunt. Tactûs organum, ſunt nerui, caro, & cutis; hic à guſtu realiter diſtinguitur; neuter verò, medium internum per ſe requirit, per accidens habet vterque. Per ſpecies intentionales, tam Guſtus, quàm Tactus, immutat potentiam, quamuis ad Tactum ſimul requiratur eſſe reale, & realis obiecti tangibilis contactus. Omnis porrò qualitas tangibilis, ſiue ſit actiua, vt ſunt quatuor primæ qualitates; ſiue non, vt ſunt aſperum, & lene, durum, & molle, producit ſui ſpeciem in tactu, ſecundùm exceſſum intenſionis, qua ſuperant organum.

LXII.

SEdes interni, ſenſus, cerebrum eſt; officia ſanè permulta, atque ea ſola illum re non diſtinctum, in varias functiones diſpertiunt. Hic enim quatenus obiecta ſenſuum externorum percipit, ſenſus communis nuncupatur; quatenus abſentia recognoſcit, facultas imaginatrix; quatenus obiectum conueniens aut diſconueniens eſſe diiudicat, Cogitatiua, & æſtimatiua; Memoria denique ſenſitiua, in quantum aſſeruat rerum cognitarum Species, appellatur. Propriũ verò actum, & ſubſtãtiã, ſecũdùm ſe haud agnoſcit, neq; iudicio vero, aut ratiocinatione pollet

LXIII.

POtentia inorganica, noster intellectus est, intelligens id omne, quicquid rationem veri Entis vspiam habet. Geminus est realiter: Agens alter, qui species intelligibiles singularium, & materialium rerũ, non verò abstractarum ab hæcceitate, vel materiæ concretione, per se, & directè producit, Phantasmatis adminiculo: Alter Possibilis, qui circa species diuersantem intellectionem facit, quam terminat nobilis illa qualitas, verbum mentis: cum eodem est realiter eadem memoria intellectiua. Appetitum sensitiuum in corde locauit natura: rationalis liberrimas exercet appetitiones; vtrique præuia rei appetendæ cognitio adest, vtrique ignoti nulla cupido. Motiua potentia, vtrique subditur appetitui, eam tamen distinctam voluit ab vtroque natura.

EX PHILOSOPHIA RATIONALI.

LXIV.

LOgica naturam solius praxeos habet; operationes, intellectus, vt dirigibiles spectat; earum proinde habitus directiuus esse definitur. Simplicem intellectus apprehensionem, per definitionis normam; iudicium compositiuum, diuisionis præceptionibus; discursum, modis argumentationum instruit. Vera idcirco Philosophiæ pars, veraq; scientia formaliter, & instrumentum Scientiarum causaliter est.

LXV.

ENs rationis, non est extrinseca denominatio, sed esse obiectiuum ab intellectu conceptum, sub modo essendi penitùs impossibili. Cognitio Sensitiua, nunquam Ens rationis facit, sed intellectus solus: neq; Deus immediatè fingit rationis Entia, sed ab humana ratione conficta, intuetur, ac ita illa velut mediatè facit. Negationes, Priuationes, & Relationes rationis, per modum Entium conceptæ, veluti genera Entium rationis sunt.

LXVI.

IDeæ Platonis citra singularia permanentes, subLunæ concauo vti non sunt, ita nec vniuersalium rationem participant: est verò Vniuersale,

realis

realis natura, concepta sine omni singularitate; quæ si accipiatur reduplicatiuè, formaliter naturam realem, materialiter Ens rationis; sumpta specificatiuè, formaliter Ens rationis, realem naturam materialiter dicit. Per comparatiuam, non abstractiuam, perque Possibilis non Agentis intellectus operationem fit Vniuersale; & in Genus, Speciem, Differentiã, Proprium, Accidens, adæquatè diuiditur.

LXVII.

DEnarius Prædicamentorum numerus receptissimus est, Substantiã, Quantitatem, Relationem, Qualitatem, Actionem, Passionem, Vbi, Situm, Quando, Habere, comprehendens. Quantitas à Substantia realiter, Qualitatum quædam realiter, quædam modaliter, Actio, Passio, Vbi, Situs, ex natura rei; Quando, à re durante, & Relatio à fundamento per rationem ratiocinatam separatur; Habere verò, extrinsecam tantùm ad dit denominationem.

LXVIII.

SEcunda mentis operatio, est assensus mentis, quo rei apprehensæ cõuenire, vel non conuenire aliquid iudicamus: Enunciationes contradictoriæ, in secunda operatione de futuro contingenti, in materia singulari ita comparatæ sunt, vt altera illarum determinatè vera sit, altera determinatè falsa. Tertia operatio, in iudicio ex pluribus notis ignotum quiddam per notam illationis (ergò) inferente, consistit: ad hanc referenda est Demonstratio, quæ vt ex præmissis veris, necessarijs, causisq; conclusionis constituitur, ita facit scientiam habitualem, actualemq; in suo genere perfectam, quæ non per Platonis reminiscentias, quas ἐννίας ille vocitabat, sed per intellectus exercitationem comparatur.

EX PHILOSOPHIA MORALI.

LXIX.

IN quolibet genere actionum humanarum, aliquis finis vltimus statuitur. Fælicitas naturæ rationalis, seu finis eiusdem, non consistit in opibus, potentia, honore, aut gloria, neque in bonis corporis, & voluptatis; sed in sola animæ, secundùm rationem, operatione.

Et quidem si de naturali beatitudine dicendum sit, fælicitas alia est Practica, quæ vitæ actiuæ finis est, & in operatione secundùm virtutum moralium, potissimùm prudentiæ, dictamen radicatur: Alia contemplatiua, quæ posita est in Dei, & aliarum Substantiarum à materia segregatarum, contemplatione: vnde non immeritò fælicitas iuxta Aristotelem, est operationum animæ per rationem, aut non sine ratione, secundùm virtutem in vita, perfectio.

LXX.

Virtus, est habitus electiuus in mediocritate consistens, ea quæ ad nos est, definita ratione, & vt definierit ipse prudens. Omnis virtus Moralis (Prudentiam tamen excipimus) consistit in medio, quoad obiectum. Voluntas, quoad exercitium, mouet intellectum, & cæteras potentias, quæ suapte natura, quoad actus humanos, eius imperio subduntur; intellectus verò, quoad speciem actus, mouet voluntatem; appetitus sensitiuus, non nisi imperio Polytico à rationali mouetur.

Defendentur publicè in Collegio Poltouien. Societatis IESV, Anno Domini, M.DC.XXI. Mense Iunio, Die Hora

PROSPHONEMA,

quod

ERVDITO D. SIMONI REYKOWICZ, MODERATORI SVO VIGILANTISSIMO, THESES ex Vniuersa Philosophia propugnanti, exhibebat

Jllustris & Generosus Dominus

HIERONYMVS STANISLAVS RADZIEIOWSKI,

Palanitides Rauensis.

ODE TRICOLOS.

Mars sua bella gerit, gerit & sua bella Minerua.

INusitatos belliger occine
Mauors triumphos: ausa nouas sequi
Bellona pugnas, & recuruo
Aere viros resides ciere.
Non prœliantes horridus asperat
Furor, cruentus bucco; nec insonant
Iræ tenaces; nec vibratus
Innocuum latus haurit ensis.

Non torquet imos, remigio manus
Adnixa, fluctus; nec rapidas fauens
Portunus vrget, nec retentat
Nereis, aut Panopæa proras.
Non vlla crudis prælia cæstibus
Miscet iuuentus; nec pugil arduus
Nudat lacertos, nec superbit
Lauriger, aut oleâ reuinctus.
Tandem refugit Martia bellicum
Frendens Enyo; te quoque deserit
Germana Fratrem; celsiorem
Diua Deam penitus secuta.
At non pudendam, quæ sinuosior
Vrit medullas, quæ gerit intima
Armis amorum bella, paret
Cui, sua progenies, Cupido.
Sed nec Dianam, cui dedit inclytam
Latona styrpem; sternit & hæc feras
Cornu supinato: nec illam
Quæ fouet Argolicas Phalanges.
Colit supremam Pallada, Pallada;
Quæ sola, fusi nescia sanguinis,
Ductat duellantes camænas,
Nescia terrifici tumultus.
Vides, vt omnes, Armipotens, vias
Decurrat acris; puluere Gymnico
Ornetur, vt vincat, caterua
Palladiæ generosa pubes.

Telluris

Telluris alma, Tethyos, Aetheris,
Sedem reuisit Miles; & auspice
Fælix Minerua, vidit orbem
Ingenio volucer sagaci.
Squalet catenis error aheneis
Post terga vinctus; colla iugo simul
Inscitiarum vis dat omnis,
Proterit en pede victor hostes.
Ignaue Mauors, Palladi subdere,
Nostro Minerual nomine militi
Præbe reportanti trophæa;
Palladis arma, virumq; lauda.

EPIGRAMMA I.

Obtinet æternas Diuina scientia laudes.

VT nulla tardi pectoris viget fama;
Sic perpolitæ plurimus vigor mentis
Adest, honorquè plurimus manet Cedro
Perennior, nec inuidum timet fatum.
Cur? nempe gloria sic scientiæ durat,
Interminato durat, vt sciens æuo.

EPIGRAMMA II.

Splendidius Virtus, Ars cui vincta, nitet.

AVrato Paruis lapis metallo
Fulget gratiùs; annulos Pyropus
Chlænam Chrysolitus, Smaragdus ostrum,

Limbos

Limbos purpureos Iaspis ornat;
Virtutem magis Ars, magisq́ virtus
Artem. Cur ità? scilicet lapilli
Solius decor est: nec vt lapilli
Expers purpura, chlæna, limbus, aurum;
Sic expers precij. sed artis expers
Virtus, (sit licet vsque magna) parte
Splendoribus caret; Arsq; si decore
Virtutis careat, caret valore.

EPIGRAMMA III.

Seruat honoratos Sapientia parta scientes.

IN Stagyritæa certas, Bellator, arena:
At quæ belligerum præmia Gymnas habet?
Est talis Sophiæ, luctis & honore, Palæstra;
Qualis Olympiacis lusibus Elis erat:
Non tamen Elæa victor decorabere fronde,
Maiori dignus maior honore labor.
Se tibi per luctam quæsita scientia dedit;
Quam defensa probat, grata rependet opem.

Ad maiorem Dei Opt: Max: gloriam.